



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxxiv [i.e. xvii]. Gustus organum est palatum, principalius tale linguæ
extremitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

dictis carunculis, utpote mollioribus, frigidis, humidioribus, adeoque proportionatis ad hoc, ut moveantur ab odore calido & sicco, sive fit in extremitate duorum istorum nervorum, è cerebro ad os spongiosum descendentium. Objectum adæquatum Odoratus est odor, qui est *qualitas orta ex temperamento primarum qualitatum, præ dominante siccitate & calore, à corpore sicco & calido, attenuato in subtilem halitum & vaporem, diffusa per aërem vel aquã, movens potentiam odorativam ad odorandum*: qui tamen halitus seu vapor non est ipse odor, sed vehiculū deferens & diffundens odorem, sicut spiritus vitales non sunt ipse calor, sed revehunt, diffunduntque calorem, vel ejus species.

XVII. GUSTVS organum minus principale est palatum, principale lingua, & maxime ejus extremitas; hæc enim, utpote laxa & spongiosa, adeoque bibula humoris aquei, qui vehiculum est saporis, aptissima est, ut moveatur ad actum gustandi. Objectum adæquatum gustus est sapor, qui est *qualitas à corpore sicco terrestri à calore diffusa in humido aqueo per liquefactionem, movens potentiam gustativam ad gustum*. Hinc causa sapo-

saporis est corpus sapidum, id est siccum siccitate terrestri, à calore concoctum, ab humido aqueo liquefactibile, ac per hoc in hoc humido diffusivum saporis: hi liquores sapidi contrahunt saporem per hoc, quòd in humido aqueo liquefactum sit aliquod siccum terreum; imò sunt ipsum humidum, in quo liquefactum est tale corpus; adeoque causa materialis saporis.

XVIII. TACTVS organum diffusum est per totum viventis corpus. Objectum illius sunt qualitates tangibiles, quales primò sunt calor, frigus, humiditas, siccitas; secundò durities, mollities, asperitas lævitas; tertio qualitates quædam doloriferæ, aliæquæ innominatæ, ortæ ex convulsione vel compressione partium animalis; quartò impulsus.

XIX PHANTASIA est potentia materialis cognoscitiva, ordinata ad percipienda objecta omnium sensuum exteriorum ipsasquæ sensationes; unde & sensus communis dicitur. Re unus est hic sensus internus; etsi enim unâ cerebri parte læsâ impediatur in ordine ad aliquas operationes v. g. rememorationes; & non in ordine ad aliàs v. g. imaginationes ob-

q

jecto-